LECTIONES TULLIANAE.

SCRIPSIT W. G. PLUYGERS.

CAPUT I.

Verrinarum libros manu scriptos qui lectionis integritate ceteris praestent, Regium dico et Guelferbytanos, mancos ac mutilos esse satis constat. Quorum auxilio destituti quum per totos Actionis secundae libros II et III ex sola deteriorum librorum auctoritate pendeamus, mirabitur nemo cur, si quando in hac *Verrinae* orationis parte interpretanda haereamus, experire malimus ecquid ipsi excogitare possimus quod laboranti orationi saluti sit, quam in lectione ab his libris tradita acquiescamus.

Mihi hoc tempore propositum est ex his *Verrinis* locos nonnullos proferre a librariis corruptos ac depravatos; de quibus ita disputabo ut aut ipse vulneribus remedium adhibere coner, aut satis habeam latens et occultum ulcus retexisse.

LIBER II.

Statim in ipso prooemio § 1. *Recepi* [1] *enim causam Siciliae; ea me ad hoc negotium provincia attraxit. Ego tamen hoc onere suscepto et recepta causa Siciliensi amplexus animo*

[1]) Sequor editionem Orell. II.

sum aliquanto amplius, offendit *et recepta causa Siciliensi.* Nam argumentatio haec est: recepi causam Siciliae propter necessitudinem quae mihi cum ea provincia est et, ne officium desererem, accusandi onus suscepi. Quo tamen onere semel suscepto aliquanto amplius animo amplexus sum; mea enim fide ac diligentia vobis, iudices, vere atque honeste iudicandi facultatem facere volui, et ita nostrum ordinem iudiciorum invidia liberare. Iam apparet *et recepta causa Siciliensi* retardare progressum argumentationis et perspicuitatem elevare. Nam firmiter ac diligenter accusando CICERO existimationi ordinis consulere conatur, non recipienda causa Siciliensi, quod fecit alia causa permotus, religione officii. Praeterea *causa Siciliensis* ab huius prooemii gravitate alienum esse videtur. Etenim aliud est recipere causam Siciliae, aliud causam Siciliensem. Illud qui facit Siculorum iura tuenda suscipit iniuriasque ulciscendas: causam Siciliensem vero recipit unusquisque qui poscenti pollicetur sese causam esse acturum cuiuscunque generis quae Siciliam spectet. Causam Siciliensem HORTENSIUS non minus recepit quam CICERO: is solus causam Siciliae recepit. Sic *Ep. ad Fam.* I. 5. *causa Alexandrina* et *causa regia*, de qua CICERO se Lentulo satisfacturum esse scribit, sunt ea quae is de se in rebus Alexandrinis et regis Ptolemaei decerni volebat. *Causa Siciliensis* magis causidici orationi convenire videtur de controversia privata tenuiter disputantis, quam grandiori dicendi genere quo CICERO hoc loco utitur. Deleo igitur *et recepta causa Siciliensi.* Ceterum est operae pretium cum loco nostro conferre Act. I § 34. *Ego cum hanc causam Siculorum rogatu recepissem idque mihi amplum et praeclarum existimassem, eos velle meae fidei diligentiaeque periculum facere, qui innocentiae abstinentiaeque fecissent, tum suscepto negotio maius quiddam mihi proposui, in quo meam in rem publicam voluntatem populus Romanus perspicere posset.*

§ 15. *At enim istum Siculi soli persequuntur: cives Romani, qui in Sicilia negotiantur, defendunt, diligunt, salvum esse cupiunt. — Primum si ita esset, tamen vos in hac quaestione de pecuniis repetundis, quae sociorum causa constituta est lege iudicioque sociali, sociorum querimonias audire oporteret.* Quaestio

de pecuniis repetundis lege constituta est, non iudicio. Non possunt igitur haec ita coniungi: *in hac quaestione de pec. rep. quae constituta est lege iudicioque.* Id sensisse videntur qui post *constituta est* incidentes coniungunt *in hac quaestione* —, *lege iudicioque sociali.* Quod non magis ferendum esse arbitror. Ita enim et rerum et verborum ordo mire perturbatur. Lex, quaestio, iudicium ita cohaerent, ut lex necessario praemitti debeat. Hunc ordinem quem ratio rerum praescribit CICERO tenere solet: *pro Mil.* § 13 *erant enim leges, erant quaestiones;* ibid. § 18 *ianua se ac parietibus non iure legum iudiciorumque texit; in toga cand.* apud ASCON. p. 86 Orell. *leges, quaestiones, iudicia violavit.*

Praeterea membrorum symmetriam et concinnitatem requiro. Nam quod primum ponitur *quaestione de pecuniis repetundis*, iam ipsum iusto longius, ita amplificatur, ut *lege iudicioque* unde pendeant, aut quomodo cum ceteris cohaereant audienti vix esset intellectum. Tertiam loci interpretandi rationem, ut *lege* trahatur ad *constituta est*, proque tribus membris duo habeamus nemini placere arbitror. Equidem locum interpolatum esse censeo, sed quae abiicienda, quae retinenda sint non statim apparet. Nam si deletis *lege iudicioque sociali* retineamus *tamen vos in hac quaestione de pecuniis repetundis, quae sociorum causa constituta est, sociorum querimonias audire oporteret*, sententia optima erit, et forma orationis eadem quae in *Verr.* III § 218: *quum lex sociorum causa rogata sit, sociorum querimonias non audire.* Verum ita obscurum est, unde sit ortum *lege iudicioque sociali*, quod ita dictum est, ut minus interpretamenti speciem prae se ferat, quam ipsum adeo magistrorum diligentiam sollertiamque exercere potuisse videatur. CICERONEM scripsisse suspicor: *tamen vos in hac lege iudicioque sociali sociorum querimonias audire oporteret*, ceteraque magistrum adiecisse, qui *iudicium sociale* interpretaretur. Homo in animo habebat *Divin.* § 17: *quasi vero dubium sit, quin tota lex de pecuniis repetundis sociorum causa constituta sit. Nam civibus quum sunt ereptae pecuniae, civili fere actione et privato iure repetuntur; haec lex socialis est* etc. Cf. etiam *Verr.* III § 127.

§ 21. Agitur de hereditate Apollodori cuiusdam quae Dionis Halesini filio venerat, ex qua hereditate Verres apposito calumniatore opimam praedam abstulit. *Quid? haec hereditas quo praetore Dionis filio venerat? Eodem, quo C. Annii senatoris filiae, eodem, quo M. Liguri senatori, C. Sacerdote. Quid? tum nemo molestus Dioni fuerat? Non plus quam Liguri Sacerdote praetore.* Locus a librariis pessime habitus. Nam *eodem quo C. Annii senatoris filiae, eodem quo M. Liguri, C. Sacerdote* non significant quae significare videntur ac loci ratio requirit. Satis apertum est quid orator voluerit, scilicet: Apollodori hereditatem Dionis filio eodem praetore venisse, quo aliorum hominum hereditates Annii filiae et Liguri venissent. Quid vero dicitur? Apollodori hereditatem eodem praetore Dionis filio venisse, quo Anniae et Liguri venerit, quasi tres unius Apollodori hereditatis cohaeredes fuerint; nam ex superioribus ad dativos *filiae* et *Liguri* repetendum est *haec hereditas venit*, non *hereditas venit.* CICERO id quod in animo habebat hoc uno modo perspicue proponere potuit, ut in Anniae et Liguris hereditatibus testatorum nomina commemoraret. LAMBINUS, fortasse ex Fabriciano, edidit *quo Anniae* (*Anneiae* habet) *C. Annii senatoris filiae.* Nomen Anniae recentiores editores omiserunt quod reliqui boni libri ignorarent. At Lag. 42 cum LAMBINO facere videtur; cf. supplementum annotationis ed. Orell. II p. 451. Ego *Anniae* revoco sed deleo *filiae*, quod qua de causa olim additum sit mox apparebit; lego igitur *eodem quo Anniae C. Annii senatoris* scil. hereditas venit. Verum ut in Anniana hereditate nomen testatoris positum est, sic in Liguriana abesse non potest. M. Octavium Ligurem heredem fecerat C. Sulpicius Olympus (*Verr.* I § 125). Eius nomen ante *C. Sacerdote* restituendum est: *eodem, quo Anniae C. Annii senatoris, eodem quo, M. Liguri senatori C. Sulpicii, C. Sacerdote.* Sulpicii nomen iam in antiquissimis libris omissum fuisse arbitror. Hinc ratione genitivi *C. Annii senatoris* obscurata *filiae* interpolatum est. Lectionem interpolatam *Anniae C. Annii senatoris filiae* habuit archetypus nostrorum librorum, in quibus omnibus praeter LAMB. et Lag. 42 filiae nomen a patris nomine absorptum est.

Verum quorsum quaeso tota Annianae hereditatis mentio, si

ea res in progressu argumentationis statim abiicitur. CICERO criminis, quod agitur, invidiam augere studens Verris praeturam urbanam commemorat, in qua is simili iniquitate in hereditatibus de quibus ante se praetorem nullae controversiae fuissent negotia exhibuerit. Demonstrat Dionis filio venisse hereditatem eodem praetore quo Liguri, quocum in ea re coniungit Anniam. Quid hoc ad rem si in sequentibus unus ponatur Ligur, in quo Verres praetor urbanus similem se praebuerit, atque in praetura Siciliensi in Dione? Equidem CICERONEM scripsisse arbitror: *Quid? tum nemo molestus Dioni fuerat? Non plus quam Anniae, non plus quam Liguri* etc. Librarius aliud agens ab altero *quam* ad alterum aberravit.

§ 23. Adhuc in eadem Dionis causa explicanda versatur oratio. *Quid ego hic nunc Sex. Pompeii Chlori testimonium recitem? — quid ipsius Q. Caecilii Dionis —? quid L. Lucilii, L. Liguris, T. Manilii, L. Caleni? quorum omnium testimoniis de hac Dionis pecunia confirmatum est. Dixit hoc idem M. Lucullus, se de his Dionis incommodis pro hospitio quod sibi cum eo esset, iam ante cognosse. Quid? Lucullus, qui tum in Macedonia fuit, melius haec cognovit, quam tu, Hortensi, qui Romae fuisti, ad quem Dio confugit, qui de Dionis iniuriis gravissime per litteras cum Verre questus es? Nova tibi haec sunt et inopinata? nunc primum hoc aures tuae crimen accipiunt?* etc. In his *se de his Dionis incommodis — iam ante cognosse* in epexegesi sunt: Lucullus idem dixit, quod ceteri testes: dixit autem se pro hospitio quod sibi cum Dione esset de iniuria huic illata iam ante cognosse: ergo et Chlorus et ceteri qui commemorantur omnes Dionis hospites erant, seque de eius causa iam ante audisse dixerunt; quod non admodum credibile est. Ponitur hoc loco aliquid quod in Lucullo singulare erat neque in ullum alium testem conveniebat, quod cuiusmodi sit deleto *hoc idem* apparebit. Ceterorum testimoniis utitur CICERO ad ea confirmanda quae ipse de Dionis calamitate demonstraverat; Luculli testimonio coarguit HORTENSII malitiam, qui de hac re se ante audisse dissimulabat. Quum non perspectum esset *Dixit Lucullus* initium esse novae argumentationis, *hoc idem* interpolatum est.

Erunt fortasse quibus placeat coniungere *hoc idem se de his Dionis incommodis cognosse.* Primum obstat verborum collocatio; dicendum fuerat nisi fallor: *dixit M. Lucullus hoc idem se* etc. non uti nunc legitur: *dixit hoc idem M. Lucullus.* Sed praeterea in hac quoque verborum coniunctione *hoc idem* otiosum est. Ferri posset si singulorum testimoniis commemoratis demonstraretur in Luculli testimonio singula convenire. Nunc vero, quum et *hoc idem* et pronomen in *de his incommodis* ad ea referenda sint quae CICERO ipse supra de Dionis casu exposuerat, alterutrum supervacaneum est.

§ 26. Duo fratres erant Agyrinenses quorum pater ante viginti annos mortuus erat. Ab his bona paterna per calumniam petuntur. Verres cognoscit. A duobus fratribus ingentem pecuniam per Volcatium quemdam accipit. *At enim ad Verrem pecunia ista non pervenit. — Quae est ista defensio? utrum asseveratur in hoc an tentatur? mihi enim nova res est. Verres calumniatores apponebat: Verres adesse iubebat: Verres cognoscebat: Verres iudicabat: pecuniae maximae dabantur: qui dabant causas obtinebant: tu mihi ita defendas: »non est ista Verri numerata pecunia?" Adiuvo te: mei quoque testes idem dicunt: Volcatio dicunt sese dedisse. — At ego amplius dico: HS. quadringenties cepisse te arguo contra leges: nego tibi ipsi ullum nummum esse numeratum: sed cum ob tua decreta, ob imperia, ob iudicia pecuniae dabantur, non erat quaerendum, cuius manu numerarentur, sed cuius iniuria cogerentur.* In his *defendas* ferri non potest, quod est rogantis quid adversarius defendere possit aut velit. Hoc loco ita componitur id quod in causa horum fratrum factum est et id quod factum esse Verris patroni contendunt, ut istorum defensionem stare non posse appareat. Igitur neque interrogationi neque subiunctivo locus est. Lego: *tu mihi ita defendis: »non est ista Verri numerata pecunia."* Locus persimilis est *Verr.* III. 213: *Antonium cum multa contra sociorum salutem, multa contra utilitatem provinciarum et faceret et cogitaret, in mediis iniuriis eius et cupiditatibus mors oppressit: tu mihi quasi omnia eius facta atque consilia senatus populusque Romanus iudices comprobarint, ita M. Antonii exemplo istius audaciam defendis.*

In sequentibus: *At ego amplius dico: HS. quadringenties cepisse te contra leges: nego tibi ipsi ullum nummum esse numeratum*, aptius et pressius dictum esset *contra legem*, eam scilicet ex qua quaerebatur, quae erat de pecuniis captis conciliatis. Tum parum Latine *nego* est pro non dico, non contendo. Adversarii negant Verri ipsi ullum nummum esse numeratum; CICERO respondet de ea re se non pugnare neque contendere illam pecuniam Verrem sua ipsum manu accepisse: sed amplius se dicere. Legerim insistens verae lectionis vestigiis in Lag. 42 expressis (*non nullum nummum*): *non ego nego tibi ipsi non ullum nummum esse numeratum.* Cum loco nostro compone *Verr.* V § 133, in quo scribendo auctoritatem libri Vaticani sequor: *Non in supplicio crimen meum vertitur: non ego nego securi quemquam feriri oportere: non ego metum ex re militari — tolli dico oportere.*

§ 28. Hanc defensionem »non accepit ipse" in magistratu provinciali minime probandam esse orator demonstrat. *Si enim innocentes existimari volumus, non solum nos, sed etiam comites nostros praestare debemus. Primum omnium opera danda est, ut eos nobiscum educamus, qui nostrae famae capitique consulant: deinde, si in hominibus eligendis nos spes amicitiae fefellerit, ut vindicemus, missos faciamus, semper ita vivamus, ut rationem reddendam nobis arbitremur.* Hic diversissima in unum coniiciuntur, scilicet quae magistratum in provincia, qui capiti famaeque consulat, in iis quos secum eduxerit facere oporteat, et, quemadmodum ipse vivat necesse est. Tum: *semper ita vivamus*, cum hypothesi: *si in hominibus eligendis nos spes amicitiae fefellerit*, male cohaeret. Etiamsi legendo *denique ipsi semper ita vivamus* sententiae succurrere conere, incomposita ac confusa manebit oratio. Equidem nonnulla ante *semper ita* excidisse arbitror.

§ 30. *Quum hos sibi quaestus constituisset magnos atque uberes ex his causis, quas ipse instituerat cum consilio, hoc est cum sua cohorte cognoscere: tum illud infinitum genus invenerat ad innumerabilem pecuniam corripiendam. Dubium nemini est, quin omnes omnium pecuniae positae sint in eorum potestate qui*

iudicia dant etc. Orator explicare incipit quale sit genus illud infinitum quod Verres ad pecuniam corripiendam invenisset; legatur igitur: *Dubium enim nemini est.*

Sequitur (§ 51) *Si vero illud quoque accedit, ut in ea verba praetor iudicium det, ut vel L. Octavius Balbus — non possit aliter iudicare — non necesse erit L. Octavio etc.* Longum est exponere quid intersit inter *non* et *nonne* in interrogatione; hoc loco quin *nonne* sit restituendum vix dubito.

§ 35. Heraclio Syracusano testamento propinqui venerat praeter alias opes *plena domus caelati argenti optimi multaeque stragulae vestis pretiosorumque mancipiorum.* Non recte dicitur *domus plena multae stragulae vestis.* Inspicienti mihi *Verr.* V § 63: *Erat ea navis plena iuventutis formosissimae, plena argenti facti atque signati multa cum stragula veste*, probabile visum est CICERONEM scripsisse: *plena domus caelati argenti optimi multa cum stragula veste, plena pretiosorum mancipiorum.*

§ 36. Verres a quibusdam Syracusanis admonetur, hereditatem Heraclii refertam esse omnibus rebus, ipsum amicis destitutum facile et sine periculo posse aggredi: *hi autem quidam erant affines istius, quorum uxores iste numquam alienas existimavit, Cleomenes et Aeschrio, qui quantum apud istum et quam turpi de causa potuerint ex reliquis criminibus intellegetis.* In his orationis inconstantia, ut ita dicam, mutabilitasque vituperanda videtur. Scilicet postquam orator quasi ridens lepidissimis verbis tecte sed nequaquam obscure indicavit cuiusmodi ista Verris cum Cleomene et Aeschrione per uxores necessitudo esset, subito recepta accusatoria persona, quam abiecisse videbatur, tristis fit ac severus et rem tantum non nomine suo appellans acerbe notat istorum hominum turpitudinem Verrisque flagitiosam libidinem. Equidem illud *et quam turpi de causa* melius abesse censeo, sed dubius haereo utrum haec CICERONI imprudenti excidisse statuam, an magistrum adiecisse, qui discipulorum moribus consuleret.

§ 42. Heraclio scribitur dica. Adversarii postulant ut iudices dentur qui Verri viderentur, Heraclius ut ex lege Rupi-

lia sorte ducantur. Vincunt adversarii, sed constituto die Heraclius ad iudicium non adest. Verres ratus absentis damnationem eo invidiosiorem fore, quod iudices ex lege Rupilia non dedisset, iudicibus quos dederat uti se negat: *iubet, id quod initio lege Rupilia fieri oportuerat, citari Heraclium et eos qui dicam scripserant: ait se iudices ex lege velle sortiri. Quod ab eo pridie, cum multis lacrimis cum oraret atque obsecraret, Heraclius impetrare non poterat, id ei postridie venit in mentem, ex lege Rupilia sortiri dicas oportere. Educit ex urna tres: iis, ut absentem Heraclium condemnent, imperat. Itaque condemnant.* Pluralis in *sortiri dicas* significat omnes dicas cuiuscunque generis ex lege Rupilia sortiri oportere, quod non ita est. Cf. § 32 seqq. Hoc loco de una Heraclii dica agitur, nec video quomodo *dicas* defendi possit. Omnino legendum est: *ex lege Rupilia sortiri iudices oportere;* ita tres erunt iudices, non dicae, quae ex urna exierunt Cf. § 39.

Eodem pertinet § 44: *Sin illud dicis te Heraclii voluntate ab lege recessisse, ipse te impedies —. Quare enim primum ille adesse noluit, quum ex eo numero iudices haberet, quos postularat? deinde tu cur post illius fugam iudices alios sortitus es, si eos qui erant antea dati utriusque dederas voluntate? Deinde ceteras dicas omnes illo foro M. Postumius quaestor sortitus est, hanc solam tu illo conventu reperiere sortitus*, cuius loci pars extrema ita constituenda esse videtur: *Denique cur ceteras dicas omnes — reperiere sortitus?* Multis locis hoc accidit, ut in argumentorum serie ultimo loco pro *denique* librarii *deinde* posuerint. Idem vitium tollendum est § 143: *Quod si quem statuae magno opere delectant et si quis earum honore aut gloria ducitur, is tamen haec constituat necesse est: primum averti pecuniam domum non placere: deinde ipsarum statuarum modum quemdam esse oportere: deinde illud certe ab invitis exigi non oportere.* Corrige *denique illud certe.*

§ 45. *Primum si id confiteri velim, tamen istum condemnetis necesse est: neque enim permissum est, ut impune nobis liceat, quod alicui eripuerimus, id alteri tradere.* ZUMPTIUS ad hunc locum: »*neque enim permissum est, ut — liceat.* Pleonasmus, cuius quidem exemplum omnino simile afferre non pos-

sum, sed accedit ad eam rationem quod lib. IV. 20 (§ 44), legitur: *Cn. Calidio, equiti Romano, per omnes alios praetores licuit habere argentum bene factum; licuit posse domesticis copiis, cum magistratum aut aliquem superiorem invitasset, ornare et apparare convivium.*" At in his nullum pleonasmum video; in quibus si *posse* deleatur longe alia sententia exibit haec: sub aliis praetoribus Calidio licuit domesticis copiis ornare convivium, sub Verre idem quae haberet ornamenta coactus fuit armariis inclusa tenere neque exponere licuit; verum *licuit posse ornare* est idem quod modo dictum erat: *licuit* habere *argentum bene factum.* Si quis requirit exempla quibus locutionem *permissum est ut liceat* defendat, is inspiciat *Verr.* III § 221: *Permittite ut liceat, quanti quisque velit, tanti aestimet. De leg. agr.* II § 34: *totam Italiam suis colonis ut complere liceat permittitur.* Ibid. *Romae esse cum commodum sit, quacunque velint summo cum imperio iudicioque rerum omnium vagari ut liceat conceditur.*

In sequentibus: *Verum ex ista reperietis hereditate istum ita praedatum* etc. corrige: *ex illa — hereditate.*

§ 55. In Bidinorum oppido erat Epicrates quidam. Huic hereditas satis ampla venerat. Adeunt Verrem quidam homines his bonis inhiantes. Componitur quomodo Epicratem aggrederentur. Verres certam pecuniam numerari iubet. Per quemdam eorum qui pactioni interfuerant fit Epicrates certior. Is qui Verrem nosset commodissimum putavit de provincia clam abire. *Itaque fecit, profectus est Rhegium. Quod ubi auditum est, aestuare illi, qui pecuniam dederant: putare nihil agi posse absente Epicrate. — Homines Rhegium proficiscuntur. Epicratem conveniunt: demonstrant, id quod ille sciebat, se HS. LXXX dedisse: rogant eum, ut sibi id, quod ab ipsis abisset pecuniae curet: ab sese caveat, quemadmodum velit; de illa hereditate cum Epicrate neminem esse acturum.* (§ 56) *Epicrates homines multis verbis male acceptos ab se dimittit: redeunt illi Rhegio Syracusas: queri cum multis, ut fit, incipiunt sese HS. LXXX nummum frustra dedisse.* Utile erit cum hoc loco contulisse Cic. *Brut.* § 18: *Tibi ego, Brute, non solvam, nisi prius a te cavero amplius eo nomine neminem cuius petitio*

sit petiturum. Secundum hoc exemplum supra scribendum erit: *ab sese caveat quemadmodum velit de illa hereditate cum ipso neminem esse acturum.* Id enim ipsum atque solum Epicrati, si pecuniam ab istis hominibus Verri frustra datam restituisset (hoc enim satis impudenter postulasse videntur) erat cavendum, ne quis in posterum hereditatis, de qua controversia erat, mentionem faceret. Accidit hoc loco, quod in multis aliis locis factum esse viri docti demonstrarunt, ut nomen proprium a magistro adscriptum pronominis sedem occuparet.

Quae sequuntur (§ 56): *Epicrates homines multis verbis male acceptos ab se dimittit* vel propter ipsam verborum compositionem in corruptelae suspicionem veniunt. Libri ita discedunt ut in aliis *ab se* coniungatur cum *dimittit*, in aliis cum *male acceptos.* Neutrum recte. Nam primum sententia huius loci requirit *dimittit*, non *ab se dimittit.* A nobis dimittimus eos qui nobiscum vivere solent, vel aliquamdiu nobiscum fuerunt, qui alio se conferentes ubi in posterum vivant dicuntur: a nobis discedere. CIC. *Ep. ad Q. Fr.* III. 9 § 9: *Ciceronem dimitto a me ut a magistris ne abducam. Ep. ad Fam.* XIII. 57: *Vehementer a te — contendo, ut mihi M. Anneium legatum primo quoque tempore remittas. Nam eius opera, consilio, scientia rei militaris vel maxime intelligo me et rempublicam adiuvari posse. Quod nisi tanta res eius ageretur, nec ipse adduci potuisset ut a me discederet, neque ego ut eum a me dimitterem.* Ibid. 63: *M. Laenium a me invitissimus dimisi, quum propter familiaritatem et consuetudinis suavitatem, tum quod consilio eius fideli ac bono lubenter utebar.* Contra ad Atticum scribens (XII. 17 § 4): *Tibi ad me venire, ut ostendis, vide ne non sit facile. Est enim longum iter discedentemque te, quod celeriter tibi fortasse erit faciendum, non sine magno dolore dimittam,* CICERO ipsius digressus dolorem spectat: si absentis amici desiderium in animo habuisset, scripsisset *a me dimittam;* ibid. III. 7 § 3 Quintum fratrem *nec quo modo visurus nec ubi dimissurus sim scio* i. e. ubi discessuri simus. Cf. *ad Q. Fr.* I. 3 § 1. Exempla cumulabo, ut rem ad liquidum perducam: *pro Rosc. Am.* § 45: *Cum duos filios haberet, alterum a se non dimittebat, alterum ruri esse patiebatur. Pro rege Deiot.* § 21: *Ita ille demens erat, ut eum quem conscium*

tanti sceleris haberet a se dimitteret, Romam etiam mitteret? *Pro Sylla* § 57: *Iam vero illud quam incredibile, quam absurdum, qui Romae caedem facere, qui hanc urbem inflammare vellet, eum familiarissimum suum dimittere ab se et amandare in ultimas terras. Utrum quo facilius Romae ea quae conabatur efficeret, si in Hispania turbatum esset? At haec ipsa per se sine ulla coniunctione agebantur. An in tantis rebus, tam novis consiliis, tam periculosis, tam turbulentis, hominem amantissimum sui, familiarissimum, coniunctissimum officiis, consuetudine, usu, dimittendum esse arbitrabatur? Veri simile non est ut, quem in secundis rebus, quem in otio semper secum habuisset, hunc in adversis et in eo tumultu, quem ipse comparabat, ab se dimitteret.* In editione Lambiniana legitur *dimittendum a se arbitrabatur*, quod praetulerim; sententia enim requirit ut dicatur: an utilius esse arbitrabatur hominem non amplius secum habere; non: an utilius esse arbitrabatur hominem his temporibus discedere et in Hispaniam proficisci.

Iam satis apparere opinor in *Verrina* lectionem libri Vaticani: *Epicrates homines — ab se dimittit* sensum praebere subridiculum; quasi vero Epicrates istos homines quibuscum semper vixisset non amplius secum habere voluerit.

Videamus an ceterorum librorum lectio *a se male acceptos* vel *male a se acceptos* melioris notae sit. Participium, si notat conditionem hominis post actionem perfectam, ut hoc loco *male acceptus*, habet vim nominis adiectivi et absolute ponitur. Qui acerbe ab aliquo tractatus est, is *male acceptus* abit, nec rectius dicitur aliquem a se male acceptum dimittere, quam v. c. aliquem a se victum dimittere

Iam nihil superest quocum erraticum librorum *a se* recte coniungi possit, nec dubitarem molestas voculas eiicere, si arbitrarer sana esse cetera. Etenim vehementer displicet *multis verbis male acceptos.* Nam cum hominibus istiusmodi, quales erant hi quibuscum Epicrates egit, et in re qualis agebatur, nisi utile videatur pacisci, quam celerrime transigitur et quam minime multa verba impendi solent. *Multis verbis male acceptos* autem dicitur quasi longa et perpetua oratione in istos homines Epicrates usus sit; cf. CIC. *Ep. ad Att.* I. 14 § 2, Pompeius in contionem productus *senatus auctoritatem*

sibi omnibus in rebus maximi videri semperque visum esse respondit et id multis verbis. *Ep. ad Fam.* IV. 4 § 4, Caesar senatui deprecanti Marcellum condonarat. *Cum omnes ante me rogati gratias Caesari egissent — ego rogatus mutavi meum consilium. Nam statueram, non mehercule inertia sed desiderio pristinae dignitatis, in perpetuum tacere. Fregit hoc meum consilium et Caesaris magnitudo animi et senatus officium. Itaque pluribus verbis egi Caesari gratias;* adde *ad Q. Fr.* II. 1 § 3, *ad Fam.* I. 2 § 1, III. 4 § 4. Ecquis Epicratem ita cum adversariis egisse credat et *multis verbis* in eos esse invectum? Equidem locum, in quo corruptelam latere mihi certum est, intactum relinquo, atque aliorum curae industriaeque, qui sint feliciori ingenio quam ego sum, commendatum esse velim.

Redeo ad locum *Syllanae* orationis quem supra attigi. In eo argumenta quae adversarii afferre possent oratione interrogativa bimembri comprehenduntur, quibus ita CICERO respondet ut singulis argumentis refutationem subiiciat. In singulis responsi partibus *at* aeque necessarium est, itaque lego: *At veri simile non est* etc. Librarius antecedentis *arbitrabat'* (i. e. *arbitrabatur*) duas litteras extremas bis scribere neglexit.

Afferam aliud exemplum corruptelae eiusdem generis. Nulla enim res veterum scriptorum integritati saepius obfuit quam ea librariorum negligentia. CICERO cogitans hortos aliquos parare ubi monumentum Tulliae poneret saepe de ea re ad Atticum scripserat. Eodem redit libro XII Ep. 23 § 3: *De Drusi hortis, quanti licuisse tu scribis, id ego quoque audieram et, ut opinor, heri ad te scripseram, sed quantiquanti, bene emitur quod necesse est. Mihi, quoquo modo tu existimas — scio enim ego ipse quid de me existimem — levatio quaedam est, si minus doloris, at officii debiti. Ad Siccam scripsi, quod utitur L. Cotta. Si nihil conficeretur de Transtiberinis, habet in Ostiensi Cotta celeberrimo loco, sed pusillum loci; ad hanc rem tamen plus etiam satis. Id velim cogites. Nec tamen ista pretia hortorum pertimueris. Nec mihi iam argento nec veste opus est nec quibusdam amoenis locis; hco opus est. Video etiam a quibus adiuvari possim. Sed loquere cum Silio.* In his velim mihi aliquis: *Nec mihi iam argento, nec veste opus est nec quibusdam amoenis locis; hoc opus est,* ita interpretetur, ut sanus sensus exeat. In novis illis hortis

CICERO prae ceteris spectabat locum, quem volebat celebrem et amoenum (cf. Ep. 19); igitur ad Atticum scribere non potuit sibi amoenis locis non opus esse. Quid multa? latet hic versiculus: *nec mihi iam argento nec veste opus est*, cuius exitus facili negotio ex sequentibus erui potest. Ad versum explendum metrum postulat duas breves syllabas ante longam et ancipitem; illas iam tenemus in *nec qui* i. e. *neque.* Sequitur syllaba *bus;* sensus requirit nomen in Ablativo; *bus* est terminatio Ablativi; tres autem sunt Ablativi disyllabi in *bus* exeuntes: rebus, subus, bubus, ex quibus non difficilis optio est; ergo versus integer est:

Nec mihi iam argento nec veste opus est neque bubus:

i. e. ut Ep. 19 dixerat: *nihil egeo vectigalibus.* Vides quam penitus hunc locum librarii negligentia corruperit, qui duas literas semel posuit quas bis scribere debebat. Ne quis miretur cum argento et veste boves commemorari, apponam locum ipsius CICERONIS *de leg. agr.* II. 38: *Quid est praeterea? Multa in mancipiis, in pecore, auro, argento, ebore, veste, supellectili, ceteris rebus;* aptior etiam qui cum nostro poëta conferatur est XENOPHON *Anab.* III. 1 § 19: *οὔποτ' ἐπαυόμην — βασιλέα καὶ τοὺς σὺν αὐτῷ μακαρίζων διαθεώμενος αὐτῶν ὅσην μὲν χώραν καὶ οἵαν ἔχοιεν ὡς δὲ ἄφθονα τὰ ἐπιτήδεια ὅσους δὲ θεράποντας ὅσα δὲ κτήνη χρυσὸν δὲ ἐσθῆτα δέ.* Cetera in epistola CICERONIS quemadmodum, ut eius manus restituatur, scribenda sint, anceps iudicium est. In librorum *quibusdam* ultima syllaba sine controversia orta est ex infelici recentioris librarii conatu manifesto vulneri remedium adhibere tentantis, qui utrum ante oculos habuerit *quibus amoenis locis*, an aliquod verbum inter *quibus* et *amoenis* positum corrigendo deformaverit semper fortasse incertum manebit. Donec igitur de ea re constabit, dubitabitur scripseritne CICERO: *nec mihi iam argento nec veste opus est neque bubus: amoenis locis, hoc opus est*, an: *nec mihi* tam *argento nec veste opus est neque bubus*, quam *locis amoenis: hoc opus est.* Utrum tamen eligas, *hoc opus* est iterum eidem poëtae (an Lucilio?) erit tribuendum, apud quem haec erant in capite versus qui *nec mihi* excipiebat.

LECTIONES TULLIANAE.

SCRIPSIT W. G. PLUYGERS.

CAPUT II.

In superiore capite ad alia CICERONIS scripta a *Verrina* digressus eo iam revertor et librum II secundae Actionis pertractabo.

§ 59. Versamur adhuc in causa Epicratea. Bidini qui de pecunia Verri per Volcatium numerata nihil cum Epicrate conficere potuerant, queruntur se nummos frustra dedisse. Res percrebruit et in ore atque sermone omnium coepit esse. Verres ait se de hac re velle cognoscere. Volcatium vocat; nummos Bidinis reddi iubet; sed neque in Volcatium, qui iudicii corrumpendi causa pecuniam accepisset, neque in Bidinos qui dedissent animadvertit. Est aliud indicium hoc fuisse simulacrum iudicii non iudicium: Volcatius tanta ignominia accepta, qui coactus esset furtum reddere, post iudicium Verri inter familiarissimos et amicissimos esse pergit. *An hoc solum argumentum est nihil isto imprudente factum, quod Volcatius ei non succensuit? quod iste nec in Volcatium nec in Bidinos animadvertit? Est magnum argumentum; verum illud maximum, quod illis ipsis Bidinis, quibus iratus esse debuit, a quibus comperit, quod iure agere cum Epicrate nihil possent — idcirco suum decretum pecunia esse tentatum: his, inquam, ipsis non modo illam hereditatem, quae Epicrati venerat, sed — bona patria fortunasque eius Bidinis tradidit.* In ultimis quin Bidinorum nomen ante *tradidit* sit tollendum, nemo, opinor, semel monitus dubitabit.

§ 68. *Sopater quidam fuit Halicyensis —. Is ab inimicis suis apud C. Sacerdotem praetorem rei capitalis cum accusatus esset, facile eo iudicio est liberatus. Huic eidem Sopatro iidem inimici ad C. Verrem — eiusdem rei nomen detulerunt. — Citatur reus: causa agitur Syracusis: crimina tractantur ab accusatore ea, quae erant antea non solum defensione, verum etiam iudicio dissoluta.* Lege: *crimina tractantur ab accusatore eadem.*

§ 74. Verri de Sopatro cognoscenti praesto est accensus Timarchides: *crebro se accensus dimittebat ad aurem Timarchides.* Non possunt nomen et appositum sine certa causa, quam hic non video, tam longo intervallo disiungi. *Timarchides* delendum est. In loco corruptissimo § 100 fortasse aliud remedium adhibendum erit, ut idem vitium in nomine M. Palicani tollatur. § 134: *qua ratione hic tantum apud istum libertus potuerit,* idem verborum ordo, quem modo reprehendi, nihil offensionis habet; dicitur quodammodo: quamquam est libertus.

§ 77. Pervenimus ad epilogum Sopatreï criminis, locum pessime habitum, quem vix spero me persanare posse, sed satis erit factum si occulta vulnera retexero.

Illud est capitale, illud formidolosum, illud optimo cuique metuendum, quod iste, si ex hoc iudicio aliqua vi se eripuerit, in iudicibus sit necesse est, sententiam de capite civis Romani ferat, sit in eius exercitu signifer, qui imperium iudiciorum tenere vult. Hoc populus Romanus recusat, hoc ferre non potest: clamat permittitque vobis ut, si istis hominibus delectemini, si ex isto genere splendorem ordini atque ornamentum curiae constituere velitis, habeatis sane istum vobiscum senatorem, etiam de vobis iudicem si vultis habeatis: de se homines, si qui extra istum ordinem sunt, quibus ne reiiciendi quidem amplius quam trium iudicum praeclarae leges Corneliae faciunt potestatem, hunc hominem tam crudelem, tam sceleratum, tam nefarium nolunt iudicare. In *de se homines, si qui extra istum ordinem sunt,* libri tantum non omnes *si qui.* Ita dubitatur aut num qui extra senatum sint, aut num qui extra hunc ordinem sunt homines sint. Utrumque absurde. Etenim per ironiam fingi

licet in controversiam venisse sintne praeter senatores cives optimo iure, sintne denique liberi homines; verum qui fingit esse qui dubitent, num qui extra amplissimum ordinem sunt homines sint, de quo ne in servis quidem dubitatur, is modum mihi excedere videtur. Quae disputo iis obversata esse suspicor, qui *si* abiiciendum esse censuerunt. Quibus ego assentirer, si hac una particula deleta cetera sana et liquida essent. Id autem tantum abest ut ita sit, ut licet incommodum *si* omittas, nihil inconcinnius et obscurius dictum esse potuerit. Nam primum, nisi tota vis oppositionis frangatur, *de se* ad populum Romanum referatur necesse est, non ad novum subiectum *homines;* et sane aliquantum differt utrum dicas: populus Romanus de se hunc hominem iudicare non vult, an: homines nolunt. Deinde senatus non potest hoc loco recte per ullum pronomen demonstrativum indicari, nedum per pronomen *istum.* Neque etiam venuste dicitur: *de se homines — hunc hominem nolunt iudicare.* Hoc pro certo habeo CICERONEM non scripsisse: *homines si qui extra istum ordinem sunt.* Verum mihi nondum liquet utrum in his ipsius CICERONIS verba lateant, an scholion olim ad *se* adscriptum eiusmodi: *homines qui extra senatorium ordinem sunt.* Equidem si tantum illa scripta invenissem: *de se, quibus ne reiiciendi quidem amplius quam trium iudicum praeclarae leges Corneliae faciunt potestatem, hunc hominem — nolunt iudicare,* et praeterea nihil, fateor me nihil amplius fuisse requisiturum. Sane scio viros doctos negare CICERONEM nomina collectiva cum plurali iungere. Neque habeo exempla huius generis, qualia ex LIVIO aliisque peti possunt, quibus hanc doctrinam refutem, sed opponam locum CICERONIS qui nostro loco persimilis est *pro Balbo* § 22: *Cum aliquid populus Romanus iussit, id si est eiusmodi, ut quibusdam populis — permittendum esse videatur, ut statuant ipsi non de nostris sed de suis rebus quo iure uti velint, tum utrum fundi facti sint an non quaerendum esse videtur: de nostra vero republica, de nostro imperio, de nostris bellis, de victoria, de salute fundos populos fieri noluerunt.* Nonne CICERO dixit *noluerunt,* cogitavit *populus Romanus noluit?* Ecquis est qui *homines noluerunt* inculcare velit? Et ea loci ex *Verrina* ratio est ut numerorum anacoluthon et necessarium et non admo-

dum durum sit. Nam absurdum esset dicere: »populus Romanus de se, cui ne reiiciendi quidem potestatem leges Corneliae faciunt, hunc hominem iudicare non vult." Non enim universus populus reus est et reiicit, sed singuli de populo. Et facit pronominis *se* natura ambigua ut oratio sine ulla audientium offensione ex altero numero in alterum transeat. Sed quid de his statuendum sit libenter ego virorum doctorum iudicio permitto. Hoc unum teneo corruptam esse vulgatam lectionem.

Caeterum video ZUMPTIUM contra FERRATII sententiam (*Ep.* I. 1) censere Syllanam illam trium iudicum reiectionem lege Cornelia de repetundis fuisse constitutam. Primum si hoc ad eos tantum pertinebat, qui extra senatorium ordinem essent, non video qua ratione in lege de repetundis de ea re sanciri potuerit, qua soli tenebantur senatores. Cf. *pro Balbo* § 54 et *pro Rabir. Post.* § 12 seqq. Tum parum probabile videtur CICERONEM cum contemtu loqui de ea lege, ex qua lege ipse accuset; neque etiam hanc certam legem si spectaret, plurali numero uteretur. Spectat nisi fallor eam legem Syllanam qua, lege Sempronia abrogata, iudicia senatui restituta sunt, quam legem hoc ipso tempore Cotta vehementer oppugnabat.

Idem vir doctus FERRATIUM secutus hoc Syllae institutum ad eos solos refert qui extra amplissimum ordinem essent. Fortasse recte. Quamquam dubitare licet. Certe Verris exemplo ad hanc rem demonstrandam non satis caute FERRATIUM usum esse video, quasi ex ipso CICERONE constaret Verrem plures quam tres iudices reiecisse. Nam trium tantum iudicum a Verre reiectorum apud CICERONEM mentio exstat, P. Sulpicii Galbae, C. Cassii, P. Cervii. Quos addit FERRATIUS Sex. Peducaeum, Q. Considium, Q. Iunium, eos Verres non reiecisse dicitur sed *reiici passus esse* (*Verr.* I § 18); quod, quamquam cuiusmodi sit non satis intelligo, certe significare non potest eos homines ab ipso esse reiectos. FERRATII errorem non profero, ut de ingeniosissimi ac doctissimi viri laude quidquam detraham, sed ne error propagetur, neve alius post alium quod minime certum est pro certo venditare pergat.

§ 79. *Hunc hominem in iudicum numero habebimus? hic alteram decuriam senatoriam iudex obtinebit?* Duas huius loci

novi interpretationes. Sunt enim qui statuant *alteram decuriam senatoriam* unam esse de tribus, quas lex Aurelia instituerit, quam legem quo tempore causa Verrina acta sit iam populus iussisset, ita tamen ut sequenti demum anno secundum eam decuriae iudicum essent describendae. At quo tempore prioris actionis oratio habita est secundaeque actionis oratio habita esse fingitur, lex Aurelia promulgata quotidie in contionibus agitabatur necdum perlata erat. Ex multis locis qui eo pertinent, conferatur unus III § 223. Ergo hoc constat in loco nostro decuriam senatoriam non esse decuriam ex lege Aurelia, quae hoc tempore nulla erat.

Altera interpretatio est MADVIGII v. c. qui in disputatione de tribunis aerariis (*Opusc. Acad. altera* p. 261) ponit senatores, quum ex lege Cornelia soli iudicarent, in duas decurias fuisse descriptas, nullo discrimine, sed ut faciliorem rationem sortitio haberet, quum eodem tempore plura iudicia exercerentur. His obstare mihi videtur quod altera decuria non potest eximie senatoria dici, si utraque iudicum est de senatoribus, praeterque has duas nulla alia hominum alius ordinis. Tum quid refert populi Romani in utra decuria Verres iudicaturus sit, qui in neutra ferendus erit. Equidem contendo quoquo modo iudices ex lege Cornelia distributi fuerunt, eius rei inepte hic et putide fieri commemorationem. Movet oratoris indignationem non quod Verres in hac vel illa decuria erit, sed quod omnino iudicabit. Mihi *hic alteram decuriam senatoriam iudex obtinebit* interpolata esse videntur. Est scholion quod pertinet ad: *hunc hominem in iudicum numero habebimus.* Id enim explicatione indigere videbatur, quemadmodum Verres ni condemnatus esset per se iudex futurus esset. Magister antiquitatem eatenus tenebat, ut sciret fuisse tempus quo aut duae decuriae iudicum essent, quarum altera senatoria (ex lege Iulia): aut duo genera iudicum esse dicerentur, alterum senatorum, alterum hominum qui extra hunc ordinem essent (ex lege Aurelia, qua de re prudenter disputat MADVIG l. l. p. 244 n. et p. 257); sed ignorabat homo haec omnia post actam demum causam Verrinam esse constituta.

§ 87. Thermis praeter alia egregia veteris artificii opera

quae Verres ad insaniam concupivit, *erant signa ex aere complura, in his eximia pulchritudine ipsa Himera in muliebrem figuram formata ex oppidi nomine et fluminis.* Formare aliquem ex nomine suo est talem oculis repraesentare qualem esse aut fuisse ex nomine eius coniecturam facis; v. c. Romae aedes erant Veiovis; nominis origo ne Romanis quidem satis nota erat, sed quoniam *vegrandia farra colonae, quae male creverunt, vescaque parva vocant,* (OVID. *Fast.* III. 445) erant qui Veiovem Iovem parvulum esse existimarent. Artifex autem qui Veiovis signum puerili vultu atque habitu finxerat, deum ex eius nomine in puerilem figuram formasse dici potest. Hoc si ad locum nostrum transferimus, sensus erit Himeram in muliebrem figuram formatam fuisse, quod oppidi et fluminis nomen mulierem significaret, i. e. quod nomen esset feminini generis. Sentio sic exire perridiculam sententiam, nec tamen aliam explicationem video. *Ex oppidi nomine et fluminis* magistrum olim ad *ipsa Himera* adscripsisse arbitror; discipulis exposuit unde deae sit nomen.

§ 94. Verres Sthenio Thermitano, qui non passus esset haec signa tolli, vehementer iratus facit ut eius nomen ad se deferatur. Sthenius profugit. Tum Verres *palam de sella ac tribunali pronuntiat, si quis absentem Sthenium rei capitalis reum facere vellet, sese eius nomen recepturum, et simul ut — nomen deferret Agathinum coepit hortari. Tum ille clare omnibus audientibus se id non esse facturum —. Hic tum repente Pacilius quidam — accedit: ait si liceret, nomen absentis deferre se velle. Iste vero et licere et fieri solere et se recepturum. Itaque defertur.* Pacilius non dixit se absentis nomen velle deferre si hoc fieri liceret, sed si liceret absentis nomen deferre, se Sthenii nomen velle deferre. Rectius igitur ita distinguetur: *si liceret nomen absentis deferre, se velle.* Iterum corrigatur verborum distinctio § 102 in hunc modum: *Deinde Romae, cum res esset acta in senatu omnes istius amici in his etiam pater eius hoc defendebat: licere fieri; saepe esse factum: iste quod fecisset aliorum exemplo institutoque fecisse;* vulgo legitur *hoc defendebat licere fieri: saepe* etc. Tum cum ORELLIO legendum est: *defendebant.* Nec est ulla idonea causa cur sperna-

mus fragmenti Vaticani lectionem: *cum haec ac[ta res esset]*, quum praesertim Lag. 42 p. m., quamquam *haec* omittat, eundem verborum ordinem servet: *cum acta res esset.* Pronomen omissum fecit, ut in reliquis libris verba transponerentur.

§ 105. Copiose CICERO in hac ipsa oratione crimen corruptarum tabularum publicarum explicat, quas Verres ita correxerat ut Sthenii nomen coram delatum esse videretur. Dum codex circumfertur, ita pergit orator et hunc locum concludit: *Is mihi etiam Sthenium litteras publicas corrupisse causa incognita iudicavit, qui defendere non potuit se non ex ipsius Sthenii nomine litteras publicas corrupisse.* Non est verisimile oratorem hic maluisse respicere ad ea quae Verres in priore actione defenderat, quam ad ea quae argumentis modo prolatis responsurus erat aut respondere poterat. Ex librorum igitur *potuit* et *potuerit* neutrum placet; *poterit* unice verum mihi esse videtur. Tum HOTTOMANNI sententiam amplector qui coniicit legendum esse *iudicabit.*

§ 114. De eodem Sthenio haec leguntur: *Denique nunc vide quid inter te — et hunc Siculum qui abs te — est condemnatus intersit. Hunc civitates ex Sicilia permultae testimonio suo legationibusque ad eam rem missis publice laudant: te omnium Siculorum patronum una Mamertina civitas, socia furtorum ac flagitiorum tuorum, publice laudat, ita tamen novo more, ut legati laedant, legatio laudet.* Hunc locum totum adscripsi, ut recitanti facile iudicium esset, quantopere illud *publice laudat* numerum frangat orationemque retardet. Equidem haec a magistro addita esse arbitror.

§ 124. Quum Agrigentinorum duo genera essent, unum veterum, alterum colonorum, cautum erat legibus ne plures essent in senatu ex colonorum numero quam ex vetere Agrigentinorum. Verres qui omnia iura pretio exaequasset in his quoque duobus generibus civium turbavit. Nam cum esset ex veterum numero quidam senator demortuus, ad Verrem empturi venerunt illum locum senatorium non solum veteres, verum etiam novi. *Fit, ut pretio novus vincat literasque a praetore*

afferat Agrigentum. Agrigentini ad istum legatos mittunt etc. Non debebant hoc loco editores spreta optimi Lag. 42 auctoritate librum Vaticanum sequi. Lag. 42 habet: *Fit ut pretio novus vincat literasque a praetore auferat. Agrigentini* etc. *Auferre* autem in hoc genere exquisite non sine cupiditatis ac turpitudinis notione dicitur is qui pretio aut precario aliquid impetrat, quod impetrare non debebat. CIC. *Ep. ad Q. fr.* II. 15 § 3: *In senatu lusit Appium collegam propterea isse ad Caesarem, ut aliquem tribunatum auferret.*

§ 137. Verre praetore venerat tempus quo in civitatibus Siciliae censores essent creandi. Is occasionem quaestus faciendi non praetermittit: ostendit sese in omnibus civitatibus censores esse facturum, scilicet *ut studia cupiditatesque honorum atque ambitiones ex omnibus civitatibus tollerentur, quae res evertendae reipublicae solerent esse* (§ 132). Concurritur undique ad mercatum Syracusas, fiunt licitationes, describuntur censores, ut quaestus amplior esset singulis censoribus denarii trecenti ad statuam praetoris imperantur. Rogat CICERO: *quamobrem censores ad statuam tibi conferebant? — Ob beneficium? Ergo hoc fatebere, abs te haec petita esse: nam empta non audebis dicere: te eos magistratus hominibus beneficii, non rei publicae causa permisisse? Hoc cum tute fateare, quisquam dubitabit, quin tu istam apud populos provinciae totius invidiam atque offensionem non ambitionis neque beneficiorum collocandorum, sed pecuniae conciliandae causa susceperis.* Is ambitionis causa aliquid facit qui sive in praesenti honoris contentione sive in spem futuram popularium gratiam sibi conciliare studet. Ambitio est inter cives, neque ullus inter praetorem et provinciales ambitioni locus est: *Verr.* II. 154: *Etenim sic C. Verrem praeturam in Sicilia gessisse constat, ut cum utrisque satisfacere non posset et Siculis et togatis, officii potius in socios quam ambitionis in cives rationem duxerit. Ep. ad Q. fr.* I. 2. § 4: *De hoc genere toto, ne forte me in Graecos tam ambitiosum factum esse mirere, pauca cognosce.* Verum fac esse ambitionem in provinciales, stulta sane est ista ambitio qua provinciae totius invidia atque offensio suscipiatur. Mihi CICERO simulatum illud in socios officium respexisse videtur quo Ver-

res comitia censoria in praetorium transtulerat, scilicet ut ambitio tolleretur, quae res evertendae reipublicae soleret esse. Lego *non ambitionis tollendae neque b. c.* Ita quoque singula nomina verbum habebunt.

§ 142. Recte ac iusta de causa a secunda persona ad tertiam transitur in: *Verum ubi tandem aut in quibus statuis ista tanta pecunia consumta est? Consumetur, inquies. Scilicet exspectemus legitimum illud quinquennium: si hoc intervallo non consumpserit, tum denique nomen eius de pecuniis repetundis statuarum nomine deferemus;* nam in prioribus de ipso crimine adversarii inter se contendunt; sed in refellenda criminis defensione, orator se ad iudices convertit. Minus recte in proximis inchoata nova argumentatione oratio primum in tertia persona permanet, tum ad secundam transgreditur: *Reus est maximis plurimisque criminibus in iudicium vocatus: HS. tricies ex hoc uno genere captum videmus. Si condemnatus eris non, opinor, id ages, ut ista pecunia in quinquennio consumatur in statuis: sin absolutus eris, quis erit tam amens qui te ex tot tantisque criminibus elapsum post quinquennium statuarum nomine arcessat?* Nam quod primum in genere ponitur, *reum esse*, hoc idem in sequentibus distinguitur et explicatur: *si condemnatus eris — si absolutus eris.* Nullis libris credam oratorem haec, quae tam necessario cohaerent, ita disiunxisse ut alterum ad iudices, altera ad reum dicere voluerit. Lego: *Reus es.*

Recte iterum iudices alloquitur in sequentibus: *Ita si neque adhuc consumpta est ista pecunia, et est perspicuum non consumptum iri, licet iam intelligamus inventam esse rationem quare et iste HS. tricies ex hoc uno genere conciliarit et ceperit, et ceteri, si hoc a vobis erit comprobatum, quam volent magnas hoc nomine pecunias capere possint.* Sed in his a correctore peccatum esse suspicor. Verba *conciliare* et *capere* coniunguntur ut lex, cuius haec ipsa verba esse videntur, iudicibus in animos revocetur. In lege Servilia certe, cuius multa capita quin in legem Corneliam translata sint vix dubitari potest, plus semel legitur: *qui pecuniam abstulerit, ceperit, coegerit, conciliaverit, averterit* (cap. 1.). Ciceronem hoc loco ver-

ba legis retinuisse suspicor, in quibus solemne est in talibus omitti coniunctionem; deleo *et* inter *conciliarit* et *ceperit.* Eadem de causa *Verr.* III § 91 lego: *pecuniae per vim — captae conciliatae.* In aliis locis librorum auctoritatem mecum habeo: III. 71, Lag. 42: *Quid est aliud capere conciliare pecunias in quo te lex tenet*; ibid. § 194, Lag. 42: *Utrum tibi pecuniae coactae conciliatae videntur adversus leges?* corrige *legem;* ibid. § 218 libri omnes, ut videtur: *cum iudices sitis de pecunia capta conciliata.*

§ 149. Multi pro testimonio dixerant metu sese ac malo coactos Verri ad statuas pecuniam contulisse. CICERO defensioni huic crimini a reo quaesitae occurrit; quae cuiusmodi sit in sequentibus exponit: *Mihi — renuntiatur ita constitui a tuis patronis, hominibus ingeniosis, causam tuam et eos ita abs te institui et doceri: ut quisque ex provincia Sicilia gravior homo atque honestior testimonium vehementius dixerit, sicuti Siculi multi primarii viri multa dixerunt, te statim hoc istis tuis defensoribus dicere: »inimicus est propterea quod arator est." Itaque uno genere, opinor, circumscribere habetis in animo genus hoc aratorum, quod eos infenso animo atque inimico venisse dicatis, quia fuerit in decumis iste vehementior. Ergo aratores inimici omnes et adversarii sunt: nemo eorum est quin perisse te cupiat.* Unus Lag. 42 *Siculi* omittit. Fortasse similitudine vocabulorum *siculi* et *Siculi* librarius in errorem inductus est. Facile igitur patiar si quis *Siculi* archetypo restituere velit, modo ne CICERONEM ita scripsisse contendat. Nam ne dicam de figura orationis in qua *multi* necessario ceteris omnibus praemittendum est, nec magis ullum vocabulum ante se patitur, quam v. c. in: *scitis quam multi et quam multa priore oratione dixerint* (§ 156) *testes* ante aut post *quam multi* inculcari posset: sed interpositum illud *Siculi* argumentationem evertit. Verres enim suo *»inimicus est propterea quod arator est"*, non tantum Siculorum gravia testimonia oppugnare, constituerat, sed omnium aratorum etiam civium Romanorum, qui magno numero in Sicilia arabant. Verum nolo plura de ea re disputare, praestat ipsum CICERONEM audire qui § 155 hunc locum respiciens dicit: *modo aratorum honestissimorum homi-*

num ac locupletissimorum et Siculorum et civium Romanorum maximum numerum a te alienasti, i. e. dixisti a te alienos esse. Maximus ille numerus hominum honestissimorum ac locupletissimorum supra *multi primarii viri* dicuntur, qui si Siculi fuerunt, non video quomodo CICERONEM inconstantiae culpa liberemus; contra deleto *Siculi* singula singulis in utroque loco respondent.

Sequitur in § 150: *Verum esto: alio loco de aratorum animo et iniuriis videro: nunc quod mihi abs te datur id accipio, eos tibi esse inimicissimos. Nempe, ita dicis, propter decumas. Concedo, non quaero iure an iniuria sint inimici.* Libri *nempe id ait* et *nempe ita dicis.* Utrumque a magistris interpolatum esse arbitror. *Nempe propter decumas* ab oratore ipsi Verri tribuuntur, cui respondet: *concedo* etc.

§ 156. Iterum considerare volo locum quem supra posui: *Dixerunt Halesini, Catinenses, Tyndaritani, Hennenses, Herbitenses, Agyrinenses, Netini, Segestani: enumerare omnes non est necesse: scitis quam multi et quam multa priore actione dixerint.* Quaero utrum *multi* in praedicato sit, ut loquuntur, an in subiecto; hoc volo: diciturne »*Halesinos ceterosque scitis quam multi et quam multa dixerint*," ut sensus sit non singulos ex singulis civitatibus sed et multos ex singulis civitatibus dixisse et multa dicta esse: an vero *multi* absolute positum est et cum *dixerint* ita coniungendum, ut dicatur magnum omnino esse numerum eorum qui testimonia dixerint, eosque multa dixisse? Etenim si hoc orator voluit (et vix dubitare licet quin id voluerit) necessario scribendum erit: *scitis quam multi quam multa dixerint.* In alia enim forma orationis dicendum est: »scitis multos multa dixisse," non: »multos et multa." Cf. CIC. *Ep. ad Q. fr.* I. 3 § 5: *de quo scribunt ad me quidem multi multa et se sperare demonstrant.*

§ 157. *Omnes — hoc in hac causa intelligent, hoc animo esse Siculos, ut, si in istum animadversum non sit, sibi relinquendas domos ac sedes suas et ex Sicilia decedendum atque adeo fugiendum esse arbitrentur. Hos homines tu persuadebis ad ho-*

norem atque amplitudinem tuam pecunias maximas voluntate sua contulisse? Credo, qui te in tua civitate incolumem esse nollent, hi monumenta tuae formae ac nominis in suis civitatibus esse cupiebant. Res declarabit, ut cupierint. Iam dudum enim mihi nimium tenuiter Siculorum erga te voluntatis argumenta colligere videor, utrum statuas voluerint tibi statuere an coacti sint. In hac ipsa causa intellectum est Siculos noluisse Verrem in sua civitate incolumem esse, scilicet ex gravibus testimoniis quae in eum dixerunt. Itaque legendum est *qui te — incolumem esse nolunt.* Tum extrema: *utrum statuas — coacti sint* delenda censeo. Sunt ab hoc loco aliena: CICERO non amplius versatur in statuarum crimine probando, non colligit argumenta utrum Siculi officio permoti an vi atque imperio adducti statuas posuerint, de ipsa voluntate disputat, quae cuiusmodi fuerit ostendit ex iis, quae in statuis Verri positis facta sunt statim postquam is de provincia decessit. Neque etiam in hac re recte dictum est *utrum statuas voluerint tibi statuere an coacti sint.* Nulla oppositio est inter *velle* et *cogi.* Dicendum erat: »utrum statuas *voluntate sua* tibi posuerint, an coacti sint.”

§ 166. »*Aratores inimici sunt propter decumas.*” *Quid? qui agros immunes liberosque arant cur oderunt? cur Halesini? cur Centuripini? cur Segestani? cur Halicyenses?* Quinque quum sint in Sicilia sine foedere immunes civitates ac liberae, Centuripina, Halesina, Segestana, Halicyensis, Panormitana (*Verr.* III § 13), non possum mihi persuadere ut quatuor de quinque civitatibus nominatim enumeratis quintam CICERO sine mentione praetermiserit Panormitanam, quum praesertim in ipso iudicio Panormitanorum legati adessent qui de Verris avaritia quererentur (*Verr.* II § 120). Fac hanc unam civitatem de quinque liberis Verrem non odisse, prudentius sane orator fecisset si id, quod contra causam erat, singularum nominibus omittendis dissimulasset. Librarii oculos iam antiquissimis temporibus aut ὁμοιοτέλευτα fefellisse videntur, aut *cur* iteratum. CICERONEM scripsisse suspicor: *cur Harlesini? cur Centuripini? cur Panormitani? cur Segestani? cur Halicyenses?*